

Schmidmer:

de reforsis
one juvis

1787.










CHRISTOPHORI IACOBI SCHMIDMERI
I. V. D. ET REIPUBLICAE NORIMBERGENSIS
ADVOCATI EXTRAORDINARIJ

OBSERVATIONES MISCELLAE
DE
RETORSIONE IVRIS

P. 165.



KT 608
608



NORIMBERGAE,
IN BIBLIOPOLIO GRATTENAVERIANO
MDCCCLXXVII.

KENFRIED
UNIVERS.
ZVHALLE



u


UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
BIBLIOTHEK HALLERSTRASSE 1
06108 HALLE/S.

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

18

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
BIBLIOTHEK HALLERSTRASSE 1
06108 HALLE/S.



SACROROMANIAMPERII

LIBERAE AC PERILLVSTRIS

REIPVBLICAE

NORIMBERGENSIS

SENATVI

MVSAMSPLENDIDISSIMO

PERILLVSTRIBVS GENEROSISSIMISQVE

DOMINIS DOMINIS

DVVMVIRIS

TRIVMVIRIS

SEPTEMVIRIS

CONSVLIBVS

SENATORIBVS

PATRIAE PATRIBVS

BENIGNISSIMIS

MAECENATIBVS ATQVE PATRONIS

AETERNAE PIETATIS CVLTV

DEVENERANDIS

SVPREMI NVMINIS
IN REPUBLICA GERENDA AVXILIVM
FELICISSIMVM
CONSILIORVM PRVDENTISSIMORVM
EVENTVM
INCOLVMITATEM INCONCVSSAM
ET
LONGISSIMAM VITAM
FAMILIARVM SPLENDIDISSIMARVM
SVMMA INCREMENTA
ET
QVAEVIS FELICITATIS GENERA
PIA MENTE ADPRECATVRVS
HOC QVALECVNQVE STVDIORVM SPECIMEN
DEBITA ANIMI RELIGIONE

D. D. D.

TANTORVM
TAMQVE PERILLVSTRIVM NOMINVM

CVLTOR DEVOTISSIMVS

AVCTOR.




SPECIMEN INAUGURALE
EXHIBENS
OBSERVATIONES MISCELLAS
DE
RETORSIONE IURIS

PROOEMIUM

Doctrina de retorsione iuris tot tantisque inuoluta est controuersis, ut illa praebet aptam sane disputationis academicae materiam: quare satis commodam esse censeo, de qua exhiberem specimen artis legitimaе, quod defensionis pro impetrandis summis in iure honoribus suscipiendae possit inferuire. Collegi igitur obseruationes nonnullas hoc argumentum illustrantes, atque eas strictim ita proposui, ut insigniorum circa hoc iurisprudentiae caput controuersiarum conspectus sistatur. Hisce addidi recensum statutorum Germanicorum, quae retorsionem respiciunt, imprimis patriae meae, ciuitatis Norimbergensis, cuius leges

A 3

rimari



rimari officii mei ratio postulat. Noli autem, Lector beneuole, expectare noua et nullo ore prius dicta, sed quae ex breui temporis spatio, quod aliis laboribus districtus huic opellae impendere potui, et pro exiguo ingenii et subsidiorum modulo proponere mihi licuit.

§. I.

DEFINITIO RETORSIONIS IVRIS

Inter uarias definitiones retorsionis iuris ueritati maxime consentanea illa est uisa, qua dicitur applicatio iuris molesti alicuius prouinciae uel loci in causis ciuilibus, contra illius incolas in alia prouincia uel alio loco auctoritate publica facta, mutuae aequalitatis restituendae causa. a) In retorsione exercenda principes et status Imperii Germanici utuntur iure Gentium, tam erga alios Germanici imperii status, quam erga respublicas externas, dum ex aequitatis studio per uiam iuris, absque ui armata ac illicita imitantur leges, quas exteri in detrimentum suorum ciuium statuerunt.

a) Alias definitiones sub examen uocauit c. F. ELSASSER in diss. de iurium statutariorum uariantium retorsione. §. II.

§. II.

DE SPVRIO RETORSIONIS IVRIVM FVNDAMENTO

Fundamentum retorsionis iurium Doctores antiquiores uulgo quaerunt in edicto Praetoris: *quod quisque iuris in alterum statuerit, ut ipse eodem iure utatur.* a) Hinc etiam factum est, ut in tradenda iurisprudencia ciuili secundum Digestorum ordinem doctrina de retorsione iuris huic Pandectarum titulo sit inserta. Id quod ex eo explicari posse patet,



patet, quod nil aequum uel rectum olim putabant ICTi, nisi ex iure Romano, quod omnis iuris fontem habuerunt, eius ratio peti possit. Haec uero opinio aliorum errorum in doctrina de retorsione uigentium mater fuit foecunda; quare haud superfluum erit illam curatius sub examen uocare.

Huius saeculi ICTi iuris naturalis et gentium scita penitus rimantes et a nimia erga ius Romanum superstitione magis uacui, perspexerunt, perperam retorsionis rationem in edicto Praetoris poni, neque opus esse cum glossatorum turba in hac re ad Latii iura confugere. Edictum praetoris proprium erat reipublicae, iudiciorum et magistratum Romanorum formae, a qua nostra maxime est diuersa. Exiguus edicti usus in foris nostris esse debet, cum litigantes a magistratu ius nouum impetrare nequeant, neque iudices nostri, ut quondam Praetores, nouum ius statuere possint, et contra male iudicantes alia et magis commoda remedia parti laesae non desint. Edictum praetoris non nisi iuris iniqui retorsionem probat b): iniuriam supponit, quam magistratus ius nouum statuendo et litigator impetrando alteri litigatori intulerunt c): uindictae inter conciuies tantum locum tribuit, et non nisi contra magistratum, qui ius iniquum dixit, et eum, qui impetrauit, eorumque heredes; d) quae autem omnia in retorsione secus se habent. Haec enim datur ob iura alterius ciuitatis diuersa nobisque molesta, quamuis non iniqua; non requirit dolum uel culpam latam ius dicentis specialem; non comparata est ad uindictandam iniuriam, quae non intelligitur, ubi quis utitur iure suo; contra ciues diuersae ciuitatis et gentis exerceri potest, et contra quemuis illius reipublicae ciuem, ubi ius nobis molestum uiget. e)

Quod.



Quod reliquum est, negare nolo, edictum praetorium et retorsionem iuris communi atque generali inniti fundamento, aequitati scilicet naturali, quae exigit, ut ei iuri, quod quis aequum credidit et in alio statuturus erat, ipse se submittat. Generalitas rationis edicti praetorii interpretes iuris induxit, ut ad ea hoc edictum extendere sint ausi, ad quae extendi et praetor noluit et ratio iuris non admittit. f.)

- a) Digest. lib. II. tit. 2.
- b) l. 3. pr. D. quod quisque iur.
- c) l. 1. §. 2. D. eod.
- d) l. 3. §. 5. D. eod.
- e) D. F. HOHEISEL Pr. de edicti praetorii: quod quisque iuris etc. iniquitate et non usu tam antiquo quam hodierno. Hal. 1724.
C. O. RECHENBERG bellum legum contra leges retorsione ementita metuendum. §. VIII. IX.
IO. GOD. BAVER de uero fundamento, quo inter ciuit. nititur retorsio iuris §. III. IV. V.
IO. CHP. WEINLAND in otio academico hyemali p. 12. et 31.
- f) SCHILTER Exerc. VI. §. 27.

§. III.

DE GENVINO RETORSIONIS IURIVM FVNDAMENTO

Genuinum retorsionis fundamentum est aequalitas mutua inter aequales conseruanda, nempe inter diuersi territorii uel loci ciues, a quibus damnum ex iure diuerso oriundum est auertendum. Detrimentum autem capit ciuitas nostra, si leges alienae prouinciae nobis uiam acquirendi aliquid ex illa denegant, quod simili casu ex nostris terris alieni



alieni territorii ciues acquirere non prohibentur. Hinc ad-
est certa et permanens inaequalitas, cui remedium quaerit-
tur per retorsionem. Aequitati praeterea conuenit, ut ex-
teri a iure, quod apud ipsos aliis dicitur, ipsi non abhor-
reant. Fautor defensionis et aequalitatis conseruandae pro
retorsione militat, quae primam aequitatis regulam sequi-
tur: Quicquid tibi non uis fieri, alteri ne feceris. Hinc
tractatio huius capituli iurisprudentiae commodissime ad do-
ctrinam iuris gentium potest ablegari.

§. IV.


IVSTITIA RETORSIONIS IURIS

Cum retorsio aequitate naturali nitatur, et ad id
tendat, ut aequalitas conseruetur, et damnum auertatur ex
iure diuerso imminens, de eius iustitia iusta oriri nequit du-
bitatio. Quid enim iustitiae magis est conueniens, quam ut
ciues patiantur, quae ciuitas sua alienae ciuitatis subditis sic
exhibere non iniquum duxit? Aequissimum est, quemquam
eodem uti iure, quod statuit in alterum, ideoque qui lege
scripta uel non scripta, ciuibus nostris molesta, utitur, pa-
ti iure optimo maximo debet, ut retorquendi remedio im-
minens damnum auertamus. a)

Qui retorsionem illicitam et iniustam uenditant, et re-
torquendo aequalitatem tolli censent: aut illam cum repres-
saliis miscent, aut abusum retorsionis a retorsione legitima
haud curate distinguunt. Repressaliae legibus imperii Ger-
manici publicis reprobatae sunt species uindictae uiolentae
propter iniuriam nobis per iuris denegationem illatam, at-
que insigniter differunt a retorsione b) tanquam iuris reme-
dio, neque prohibitio illarum ad hanc quoque damnandam

B

est



est extendenda. Retorsio tunc demum in laesionem degenerat, et retorsionis uel retributionis legitimæ nomine indigna est, si ius diuersum in iisdem terminis, quibus exercetur, non exacte retorquetur, sed limites aequalitatis sancte seruandae uiolantur. Retorsionis aequitas non tantum ex iuris naturalis et gentium principiis patet, sed nec iuris Romani et Canonici suffragio caret; c) si nil esset iustum reputandum, quam quod legum ciuilium et canonum auctoritate suffulcitur. Rarius statuta Germanica de retorsione praecipunt; attamen illis non plane caremus, ad quae in sequentibus prouocare saepius aderit occasio. Et ubi statuta de ea silent, moribus tamen obtinet.

- a) I. I. SCHVHARDT *diff. de successione coniugum ex uniuersali bonor. communionem sec. stat. Nor. p. 32.*
 b) IOH. CHP. WEINLAND. *l. c. p. 47.*
 c) G. A. STRVV. *de uindicta priuata et retorsione iuris iniqui, c. XI. LEYSER Spec. 30. n. 7.*

§. V.

RETORSIO EXERCETVR OB IVS DIUERSVM EXTRANEIS MOLESTVM

Ad retorsionem exercendam requiritur ius diuersum ab eo, quod in territorio retorquentis obtinet. Vbi nulla iuris diuersitas adest, cessat inaequalitas: hac autem deficiente, iusta retorsionis causa deest, cum huius finis sit, restituere et seruare aequalitatem per ius exterum diuersum turbatum. Sed quaeritur: an sola iurium diuersitas retorsioni locum faciat, nec simul requiratur, ut statutum uel ius consuetudinarium sit huius indolis, ut ex eo peregrini deterioris sint conditionis, quam ciues. Multi iuris interpretes,



pretes, qui fundamentum retorsionis ex titulo Pandectarum: Quod quisque iuris etc. petere solent, in solis iuribus iniquis et in exterorum odium statutis retorsionem iustam esse affirmant, non item in illis, quibus ciues et peregrini pari numero et iure censentur. a) Equidem contrarias sequi partes non dubito, statuens: non modo ius iniquum et nouum, sed etiam diuersum contra ciues alienae prouinciae iure isto iniquo aut diuerso utentes retorqueri posse, b) quatenus illud nobis damnum affert atque molestum est; neque attendendum esse, quod aliena prouincia in ciues suos proprios et peregrinos illud statuatur, et utrosque aequali metiatur modulo.


Singularis quidem iuris ratio ideo iniqua non est censenda, quod a nostra discrepet. At iuris iniquitas peperam pro unico omnis retorsionis fundamento uenditur: ius diuersum iam satis molestum et graue esse et inaequalitatem parere potest, quae retributione illius contra utentes illo iure corrigitur. Neque allegari potest: hoc ipsum nil aliud esse, quam aliis ciuitatibus iura nostra obtrudere uelle, et nil aequum existimare, nisi quod in nostra ditione feruatur. Tantum abest ut nostras leges per retorsionem aliis obtrudamus, ut potius iura nostra in retorsione dereliquisse et aliena quasi adoptasse uideamur. Damnum, quo nostra afficitur ciuitas, parit inaequalitatem, quae non melius caueri potest, quam retorsione. Ciuitas, contra quam proprium ipsius ius retorquetur, non habet, quod extraneos de iniquitate accuset, cum hoc ius ipsamet statuerit, atque in ciuium et exterorum causis, nullo habito discrimine illud applicare non dubitet. Ciuitas externa, dum de retorsionis iniustitia quereretur, hoc ipso proprium, quod condidit, et



quo uel suos ipsos ciues ligat, statutum, iniustitiae arguet. e) Nec obiici potest: proprias nostras leges prouinciales retorsione uagas reddi, immo et ipsam esse uagam. Certitudo sufficiens adest, cum retorsioni locus detur in illis casibus, qui nobis sunt oneri et detrimentum afferunt. Ex quo efficitur, ut, quotiescunque damnum uel incommodum ex lege exteriorum a nostra dissentiente nostrae reipublicae eiusque subditis imminet, retorsionis introducendae iusta adsit causa.

Exemplum iuris diuersi, quod retorsioni locum facit, est statutum uel ius consuetudinarium, quod prioribus creditoribus usuras fortis non prius adiudicat, quam postquam posterioribus creditoribus quoad ipsam sortem est satisfactum d) Sola iuris diuersitas requiritur ad retorsionem in successio- nis causis exercendam iure Saxonico, quod ita praecipit: e) *Es ist nicht unbillig, das man wider die Oerter, von denen man die Erbschaft, Gerade, Hergewette und dergleichen gar nicht, oder allein eines Theils folgen laest, solches ius retorsionis oder talionis hinwieder auch gebrauche, und der Ende solche Stücke mehr und weiter, den sie gegeben, nicht folgen lasse.* Codex Maximil. Bauar. civilis f) uero retorsioni non locum facit, nisi ob iura extra Bauariam in odium peregrinorum introducta, non ob sola iura diuersa.

- a) HOHEISEL in d. c. §. VIII. sqq. CAR. OTTO RECHENBERG in uindictis iurium reip. et fisci in doctrina retorsionum §. XI. et in diff. cit. §. XII. XIII. RICCIVS von Stadtgesetzen p. 608. et in Spicileg. p. 9.
 b) I. VL. DE CRAMER in Obs. Jur. T. II. P. I. obs. 553. p. 326.
 c) ELSAESSER in diff. alleg. §. XVIII.
 d) Hanc retorsionem praecipit RECESSVS MARCHIAE de 1653. §. 33.
 e) CONSTIT. SAXON. P. III. const. 38.
 f) P. I. cap. II. §. 12.



§. VI.

AD RETORSIONEM EXERCENDAM SOLA IURIS DIVERSI EXISTENTIA SVFFICIT, QVAMVIS DE APPLICATIONE NON CONSTET.

Nonnulli Iuris interpretes requirunt, ut ius diuersum alterius loci uel prouinciae aduersus prouinciae uel loci retorquentis incolas actu sit exercitum, neque iuris diuersi existentiam sufficere statuunt. a) Prouocant ad edictum Praetoris, ad quod, ut locum habeat, requiritur, ius nouum cum effectu esse statutum, atque sententiam iniquam ad effectum perductam. b) Sed magis arridet contraria decisio, qua non necessarium esse ducitur, ut lex scripta uel non scripta ad factum iam fuerit applicata et actus aliquis secundum illius legis normam contra nos sit exercitus. Pro legis enim uigore et obseruantia recte praesumitur, donec legislator illam sustulerit uel mutauerit: retorsio cum lege ipsa ab ipso promulgationis momento nascitur: legum contra externos prohibitive disponentium haec est natura, ut alia ciuitas contra eas nunquam retorquendo procedere possit, si usus retorsionis non fuerit legitimus nisi praecio actu exercito: denique ab actu contra nos nondum exercito minus recte inferitur, alteram ciuitatem nostris ciuibus statutum applicare nolle, quamuis illo utendi copia non defuerit. Inspiciendae sunt singulae circumstantiae illius speciei, in qua ciuitas statuto suo haud usa est. Omissio applicationis non statim perimit nostrum ius retorsionis, si pateat, illius causam in liberalitate et remuneratione uel fauore singulari erga ciuem nostrum esse quaerendam. c) Denique ex edicto Praetoris non recte retorsionis exercitium determinari, fatis superque (§. II.) demonstratum. Retorsione



usurus itaque non est onerandus probatione applicationis iuris diuersi et molesti in extranea ciuitate obtinentis: sufficere potest, de existentia iuris molesti constare, ad quam probandam insertio legis scriptae in collectionem publicam, non autem priuatam, sufficit; probatio autem legis non scriptae aliunde erit petenda.

Si occasio nondum contigit applicandi legem contra externos et praesertim contra nostrae reipublicae ciues, regulis humanitatis et prudentiae est conforme, sciscitari mentem magistratus uel principis loci aut territorii, ubi ius nobis molestum existit. Si huic commodum uideretur exhibere litteras reuerfales de non exercenda lege sua contra nostros subditos, retorsioni obex ponitur.

Constitutiones Saxoniae Electoralis d) fanciunt: *Wann aber eine solche Stadt solch unbillig Recht in Gebrauch, und gleichwol dasselbe wider eine oder mehr gewisse Staedte niemahls ins Werk gerichtet haette, so koennten solche Staedte und Oerter sich binwieder des iuris retorsionis gegen dieselbige Stadt auch nicht gebrauchen.* Ex hoc statuto Icti quidam Saxonici) defendere student, ciuitatem retorsione usuram probare debere, alteram ciuitatem iure illo singulari contra ipsam usam esse. Sed uerba eius id tantum loquuntur, quod eo casu, quo ciuitas diuerso iure utens, tamen eodem contra retorquentem usa non est, retorsio cessare debeat: supponuntur itaque eiusmodi actus, quibus ciuitas externa occasionem iure suo utendi habuit, ac nihilo secius eodem haud usa est. Id quod est res facti, ab ea ciuitate, contra quam quis retorsionem adhibere uult, probanda. f) Neque obstat impossibilitas uel difficultas probationis, cum de casu singulari sermo sit, in quo statutum illud molestum non est applicatum.

a) STRVV



- a) STRVV. de uindicta priuata, C. XI. §. 7.
RICCIUS l. c. p. 614.
BROCKES in sel. obf. for. obf. 207.
EISENHARD de retorsione iuris albinagii in successione mariti cessante. Helmst. 1755. in opusc. p. 151 sqq.
- b) l. i. §. 2. D. quod quisque iuris.
- c) Vberius et egregie de hoc argumento exposuit CAR. FR. ELSAESSER in diss. alleg. Erl. 1775. defensa.
- d) P. III. const. 38.
- e) CARPZOV P. III. const. 38. def. 8. et BERLICH. P. III. concl. 51. n. 27.
- f) WERNHERI Sel. Obf. for. F. III. Obf. 32.

§. VII.

RETORSIO, NON NISI PRINCIPIS AVCTORITATE EST EXERCENDA

Magistratibus non licet uti iure retorsionis erga extraneos sine auctoritate et consensu principis. a) Illorum enim est seruare ius constitutum, nulla distinctione habita inter ciues et peregrinos. Ad summam in ciuitate potestatem et ius legislatorium pertinet statuere, num exteris secundum iura sui domicili sit ius dicendum et statuta ipsius domestica contra illos sint applicanda b) Qui magistratibus et iudicibus hanc facultatem tribuunt, argumentum ducunt ex edicto Praetoris c) et distinguunt inter ius nouum iniquum a iure communi recedens et ius commune. Sed edicto Praetoris in hac re non est locus, uti supra est demonstratum, Quodsi igitur ne magistratibus quidem exercitium retorsionis iurium sine imperantis consensu competit, multo minus illud a hominum priuatorum arbitrio pendet d), nec id





id prudentiae regulae permetterent, quibus retorsionis exercitium regi debet, ne privati modum in retorsione obseruandum excedant. e) Consensus principis antecedens ad est, si leges prouinciales uel statuta a principe confirmata retorsionem praecipunt; id quod saepissime factum esse, exempla infra a nobis alleganda testantur.

- a) Id quod expresse cautum est in ORD. POLIT. MAGDEBURG. C. 55.
 b) STRVBENS *rechtl. Bed. T. V. n. 47.*
 FR. ES. A PVFENDORF *Animaduers. Iur. T. I. animadu. 110. §. 2.*
 c) STRYCK in *Vsu mod. Pand. tit. Quod quisque iuris, §. 5.*
 d) CONSTIT. SAXON. P. III. 38. expresse disponunt: *Dass nicht Privatpersonen, sondern die Obrigkeit solches ius retorsionis zu exerciren und vorzuwenden haben soll.*
 e) I. G. BAVER. de uero fundam. quo inter ciuitat. nititur retorsio iur. §. XVIII.

§. VIII.

AN INTER SVBDITOS EIVSDEM PROVINCIAE VEL DIVERSARVM PROVINCIARVM, QVAE VERO EIDEM PRINCIPI SVBSVNT, RETORSIO EXERCEATVR

Cum praecipuum retorsionis fundamentum in aequalitate erga exteros conseruanda sit positum, regulariter illa exercenda est inter respublicas et ciuitates diuersas, non item contra incolas diuersorum locorum eadem prouincia comprehensorum, nec contra subditos diuersarum prouinciarum, quae eidem parent principi, postquam harum unio intuitu iurium sub eodem principe est facta. Hi enim tanquam conciuues sunt considerandi. Post unionem perfectam retorsio non semper cessat, quia ante illam ita agere solenne erat. Unio illa uero non semper inter prouincias eiusdem



eiusdem principis diuersas obtinet, ueluti inter Holsatiam et terram Oldenburgensem a), inter quas ius detractus obtinuit. Nec desunt territoria Germanica, in quibus retorsio praesertim iuris detractus, exercetur contra eum, qui bona in alius iudicis districtum, quamuis non extra territorium, transferre cupit. Exempli loco sint ditiones *electorales Saxonicae*, b) ubi tamen inter diuersorum locorum magistratus retorsio per pacta uel litteras reuersales haud raro est sublata, uel saltem restricta. Nonnunquam in una eademque ciuitate inter incolas diuersae iurisdictioni subiectos huiusmodi retorsio exercetur. Sic olim inter urbem et academiam *Lipsiensem* ius detractus exercebatur, quod nunc pacto mutuo est sublatum.

a) CORP. CONST. OLDENBURG. P. IV. p. 106.

b) A. F. SCHOTT in Institut. iuris Sax. elect. priuati. p. 45. (ed. II. de anno 1785.)

§. IX.


DE RETORSIONE IN CAUSIS SVCCESIONIS HEREDITARIAE

Retorsionis usus praecipue se exferit in causis hereditariis. Iure *Saxonico communi et electorali* fratrum et sororum liberi ab intestato excluduntur a fratribus et fororibus. a) Hinc fieri solet, ut liberi fratrum et sororum in Saxonia domicilium habentes in locis extraneis, ubi ius commune uiget, quod illos simul cum fratribus et fororibus admittit, ad successionem ex iure repraesentationis per modum retorsionis non admittantur.

Cum iure Electoratus Saxonici successio in Geradam et Hergewettam obtineat, constitutiones Saxonicae b) aequum esse censuerunt, si Gerada et Hergewetta retineatur iure retorsionis erga ciuitates et prouincias, in quibus ille

C

fuc-



succedendi modus plane ignoratur uel alia ratione obtinet. Eandemque legem repetunt plura *urbium Saxonicarum* statuta c) et ordinat. polit. *Magdeburgica*. d)

In Gallia erga externos olim exercebatur ius Albinagii, ut cuius peregrino in Gallia uersanti non licuit de bonis suis testari, uel alio modo mortis causa cuiquam aliquid relinquere, sed hereditas fisco addicebatur. Quod ius magnum erga peregrinos odium spirans, hodie prorsus fere sublatum est per conuentiones publicas inter Galliae regem et plerasque Germaniae prouincias initas, ita ut, quantum mihi quidem constat, inter status Imperii potentiores erga terras Electoris Brunswico-Lüneburgensis et Brandenburgici tantum adhuc exerceatur. e) Conuentio de tollendo albinagii iure inter ciuitatem Norimbergensem et Gallos a. 1771 est publicata. f)

In uariis Germaniae territoriis certa pars hereditatis heredum collateralium extraneorum retinetur et in rem piae uel publicae causae, ueluti ergastulorum, uertitur. In terris *Onoldinis* ad aerarium ergastuli Suabacensis hic detractus est praestandus. g) Similis constitutio promulgata est in terris *Culmbacensibus*. gg) Quam ob rem respublica Norimbergensis fanciuit, h) ut subditi Onoldini et Culmbacenses in simili casu tantundem in utilitatem ergasterii Norimbergensis praestare teneantur.

Terrae illae, in quibus communitio bonorum inter coniuges uiget, uariis utuntur legibus circa concursum collateralium cum coniuge superstite in diuidenda coniugis demortui hereditate. Aliis in locis collaterales ex pristina communionis bonorum indole ab omni successione per superstitem coniugem excluduntur. h) In plurimis uero diectionibus hodie illi, qui defuncto coniugi a latere sunt coniuncti, simul cum coniuge superstite in certa hereditatis part-

parte admittuntur, uti legibus Norimbergensibus est statutum. k) Norimbergenses itaque collaterales coniuge superstite nunquam in partem hereditatis coniugis defuncti in prouinciis illis exteris uocantur, cum contra ea extranei collaterales secundum ius Norimbergense ab hereditate in simili specie non arceantur. Opes ciuium Norimbergensium hac ratione in alias prouincias et alia loca sine spe reditus transeunt. Hinc ex aequitate haud cerebrina collateralium extraneorum exclusio decernitur per modum retorsionis erga illas prouincias et illa loca, quae collateralibus succedendi ius una cum coniuge superstite denegant. Praeter leges antiquiores id iubentes memoratu dignum est decretum perill. Senatus *Norimbergensis* d. 6. Oct. 1763. l) promulgatum, in quo singularum terrarum uicinarum subditi nominatim recensentur, qui eadem ratione ac indignae ad successorem in bona defuncti coniugis, qui in matrimonio sine pactis inito uixit, et ab intestato decessit, sunt admittendi, nec non illi, qui in uim retorsionis ab ea sunt arcendi. Coniuge non interueniente, collaterales non excludunt exteris ab hereditate. Idem decretum iubet retorsionem exclusionis ascendentium cum coniuge superstite concurrentium, quae iure consuetudinario Praelaturae *E-bracensis* exercetur. Illa uero admissio et exclusio eatenus est obseruanda, quatenus leges nouae ditionum exterarum nil aliud disponunt.

Haec retorsionis species illustre praebet exemplum iuris diuersi, quod non in peregrinorum odium est statutum, sed ciues et peregrinos aequali habet numero. Ratio aequitatis illam suasisit, ne collaterales exteri Norimbergae succedentes sint melioris conditionis, quam Norimbergenses in ditionibus exteris a successione exclusi. Quo pacto ef-



ficeretur, ut Norimbergenses semper in damno essent haesuri, et exteri in lucro uersaturi. Quae conditio inter utrosque inaequalis ut tollatur, non est reprehensione dignum.

Simile statutum condiderunt *Lubecenses* a. 1543, de retorquendis legibus illorum locorum in Westphalia sitorum, ubi coniux superstes cognatos defuncti a tota hereditate excludit, m) id quod forsan antiquissimum est statutum re-torcionem legum successione praecipiens: mihi saltem anti-quiuisprehendere nondum contigit.

- a) A. F. SCHOTT *Inst. Iur. pr. El. Sax.* p. 229. 233.
- b) P. III. const. 38. uid. SCHOTT in lib. cit. p. 268.
- c) Statutis a RICCIO *von Stadtgesetzen* p. 611. sqq. recensitis addi possunt: Statuta *der Stadt Zeitz* in SCHOTTII *Samml. der teutschen Land- und Stadtr.* T. I. p. 286. *Der Stadt Colditz*, ibid. T. II. p. 240. et 243.
- d) cap. 55.
- e) uid. SCHLOEZERI *Briefwechsel*, T. IX. p. 272. coll. p. 373. Eiusdem *Staats-anzeigen* Fasc. XXXI. n. 32. ubi exhibetur catalogus statuum Imperii, qui cum Galliae rege transegerunt, in quo ex ciuitatibus Imperii desideratur Gemunda in Sueuia et Rotenburga ad Tubarim,
- f) uid. IO. ALB. COLMAR de iure ciuitatis Norimbergensis §. VIII.
- g) HEYBERRI *Real-Index der Opolzbach. Verordn.* p. 580.
- gg) CORP. CONST. CVLMBAC. T. II. P. II. p. 373.
- h) Decr. Nor. 17. Maii, 1770, in *der vollst. Sammlung*, p. 713.
- i) Catalogum horum statutorum amplum dedit DREYERVS in *der Einleit.* in *die Lüb. Verordn.* p. 301. 302. quem tamen non plenum esse facile patet.
- k) REF. NOR. Tit. XXXIII. leg. 5.
- l) in *der vollst. Samml.* p. 699.
- m) DREYER loc. cit. p. 300.

§. X.



§. X.

STATVTORVM, QVAE IN ODIVM CREDITORVM EXTRANEO-
RVM SVNT CONDITA, EXEMPLA

Statuta quarundam prouinciarum et ciuitatum Germania recitabo, quibus ex odio erga peregrinos sancitum est, ut ciues et incolae orto concursu creditorum exteris praeferantur. Vtilissimus erit catalogus huius generis, quem me plenum exhibuisse ipse minime credo.

- 1.) In ciuitate *Biberacensi* consuetudo plane exorbitans uiget, qua ciues et incolae debita chirographaria exigentes praeferuntur exteris hypothecae iure munitis. a)
- 2.) Statuto ciuitatis *Cellensis* tit. 7. §. *Wer um Schuld etc.* cauetur, ut ciuibus et incolis huius ciuitatis in concursu creditorum prae extraneis creditoribus satisfiat. b)
- 3.) Idem sancitum est statutis *Osterodensibus* c) quae ciuibus prioritatem tribuunt, quatenus cum exteris eiusdem classis concurrunt, non attenda prioritatem temporis, quo debitum est contractum; quod idem fere temperamentum in urbe *Cellensi* obseruatur.
- 4.) In terra *Kehdingensi* ducatus *Bremensis* olim idem obseruatum esse, probabile fit ex statutis *Kehdingensibus*. d)
- 5.) In terris Principum *Schwarzenburgensium* idem constitutum est a. 1723.
- 6.) In statutis *Coburgensibus* a) sancitum est: *Es werden auch die Bürger zu Coburg in concursu creditorum vor den auswärtigen Gläubigern, wann es nur Chirographarii seyn, und nicht Consens oder Arrest auf des Schuldners Gut erlangt, bezahlt und allewege vorgezogen: hette aber ein Bürger gleich priuatam hypothecam, so geht er einem auswärtigen Arrestanten vor.*





Wenn auch ein Auswärtiger einen Arrest auf des Schuldners Gut geschlagen, und gebürlich prosequirt und ein Bürger schläge gleichfalls, es geschehe vor oder nach, einen Arrest und prosequirte denselben, so gieng dießfalls der Bürger dem Auswärtigen vor, ob er schon langsamer seinen Arrest interponirte.

- 7.) Haec sanctio iisdem plane uerbis repetitur in statutis urbis *Heldburgensis* de anno 1672. f.)
- 8.) nec non in statutis oppidi *Schalkau*. g)
- 9.) Simile priuilegium in episcopatu *Wirceburgensi* indigenis in praeiudicium exterorum concessum esse, testatur *Lauterbach* h). De ciuitate *Herbipolensi* idem expresse est statutum in ordinatione iudicii ciuitatis *Herbipolensis* i) his uerbis: *Ob die Inwohner zu Würzburg vor den Frembden sollen bezahlt werden: die weil von Alters in Unserm Stift Würzburg bekommen, das unsere Unterthanen in Bezahlung der Schulden den Fremden vorgangen seynd: Erklären wir solches und wollen, das auch albier in unser Stadt Würzburg unsere Bürger vor den Frembden und Ausländischen Creditorn, so eiusdem conditionis, und in gleicher Forderung stehen, ihrer Schulden bezahlt werden sollen.* „
- 10.) Huius generis statuta obtinere *Neoburgi* ad *Danubium* et
- 11) *Rotenburgi* ad *Nicrum*, refert *Lauterbach*. k)
- 12.) Statutis *Mindsibus* cautum est: *So ist auch ein alt gar unveränderter Gebrauch albier, das in concursu creditorum die Bürger vor den Ausländischen, und welche keine Bürger seyn, mit ihren Schulden präferirt werden, es haben gleich die Ausländischen für Priuilegien, wie sie immer wollen.*
- 13.) Statuta

- 13.) Statuta et priuilegia *Henricopolitana* l.) chirographarios non priuilegiatos creditores ciues et subditos exteris praeferunt.
- 14.) *Augusta Vindelicorum* ab Imp. Carolo IV. priuilegium accepit, ui cuius, concursu creditorum super bonis Iudaei orto, creditores indigenae exteris sunt praeferendi. m)

Vrbi Francofurtanae ad Moenum speciale priuilegium ab Imperatoribus Augustissimis indultum tribuit *Io. Frid Kobius* n), ui cuius ciues siue indigenae ob credita sua, orto super debitoris facultatibus concursu, omnibus praeferuntur extraneis, utut hypothecae alioque praelationis iure munitis creditoribus. Sed humani quid passus est Vir consulti-
tissimus, cum ciuitas Francofurtana eiusmodi priuilegio omnino careat, et consuetudinem exteris adeo inimicam ignoret. Priuilegium uero a Maximiliano II. Francofurtanae ciuitatia, 1572 concessum fisco saltim ius prioritatis in concursu tribuit, quod nec iure Romano erat incognitum. o)

- a) *Riccivs* libr. alleg. p. 458.
- b) *PVFENDORF* T. IV. obs. 73.
- c) art. XIV. in *Append. ad PVFENDORF*. Obs. Iur. uniuers. T. II. p. 250.
- d) tit. 23. in *App. ad PVFENDORF*. Obs. T. I. p. 157.
- e) c. VII. n. 15. 16. in *KREYSSIGII Beytraegen etc.* I. T. p. 369.
- f) apud *KREYSSIG* T. III. p. 230.
- g) art. V. §. 13. 14. *ibid.* T. II. p. 246. 247.
- h) *Diss. de priuil. credit.* §. 41.
- i) §. 43. *uid. PET. RODERICI DEMERADT Decem responsa iuris* p. 5.
- k) in *diss. alleg.* §. 41.
- l) *ELSAESSER* l. c. §. XVI. not. b)
- m) *MOSERI Reichsstaedr. Handbuch.* T. I. p. 94.
- n) de



- n) de pecunia mutuaticia tuto collocanda, p. 52. et 238.
 o) Errorem hunc dediscere iussit I. P. ORTHIVS in der *Samml. merkwürdiger Rechtsbaendel. T. I. p. 222.*

§. XI.

DE RETORSIONE IN CONCVRSV CREDITORVM

Quarum ciuitatum ciues in concursu creditorum extraneis praeferuntur, illi, concursu aliis in locis moto, eorum locorum ciuibus postponuntur. Retorsio erga ciues et subditos illius loci et prouinciae apud externos exercetur, etiamsi alias apud hos simile ius non ualeat; quia eiusmodi priuilegia odium erga extraneos spirant, quod retorsione coercetur, imo interdum prorsus tollitur. Praxis haec forensis in manifesta aequitate est fundata et plura statuta Germanica illam expresse confirmarunt, a) et exteris creditoribus par pari referendum esse sanxerunt. Sic ius prouinciale *Hobenloicum* b) disponit: „*Und sollen die einheimischen Creditores vor denen Auswärtigen keinen Vorzug bey der Schuldenaustheilung haben, es seye dann, dass die auswärtige Creditores aus solchen Orten wären, wo selbst die Inheimische den Auswärtigen vorgezogen werden, welchenfalls iure retorsionis dergleichen auswärtige Glaebiger den Inheimischen auch nachzusetzen vvaeren.*“ Similem de retorsione legem deprehendimus in *Ordinat. concursus Salisburgensi.* c) Statuta *Nordlingensia* d) ciues monent, ut indicent, quibus in locis creditores indigenae ipsis tanquam extraneis praeferuntur, quo contra illorum locorum subditos retorsio rite exerceri queat, et exteri cogantur aequale ius ciuibus *Nordlingensibus* tribuere cum indigenis. Decreto perill. *Senatus Norimbergensis* e) sancitum est, ut per modum retorsionis procedatur contra ciues et incolas illarum urbium
 mer-



mercaturam exercentium, quae creditores externos, quamvis iure potiori pollentes, indigenis in concursu postponunt. Alia sanctione eiusdem Senatus f) decernitur, creditores in urbe *Turicensi* domicilium habentes non prius admittendos esse in concursibus Norimbergae ortis, quam postquam creditoribus Norimbergensibus est satisfactum.

Haec statuta erga extraneos iniqua, tanquam fidei publicae et commercii inimica, singulorum ordinum imperii uel locorum pactis saepius sunt sublata. Exempla suppeditat urbs Patria, *Norimberga*, quae cum ciuitatibus exteris et statibus imperii uicinis de hac re transegit. Tales sunt conventiones cum ciuitate *Basileensi* de aequalitate inter ciues Norimbergenses et Basileenses in causis conturbationum seruanda, a. 1676. et 1678. initae, g) Vi transactionis a. 1712. perfectae ciues *Geneuenses* eodem loco Norimbergae habentur ac ipsi ciues Norimbergenses, h) Subditi commendae *ordinis Teutonici* Norimbergae in concursibus creditorum eodem fruuntur iure, ac ciues, i) Subditi episcopatus *Bambergensis* hodie in iudiciis Norimbergensibus de repetendis debitis ex concursu creditorum litigantes non sunt deterioris conditionis, quam ipsi Norimbergenses; postquam regimen Bambergense 1756 erga Senatum Norimbergensem declarauit, Norimbergenses in terris Bambergensibus iisdem fructuosos esse iuribus, k)

Subditi Principatus *Onoldini* olim in foris Noricis creditoribus personalibus Norimbergensibus postponebantur. Sed cum nouioribus temporibus in terris Onoldinis iure tantum reuersionis creditoribus indigenis personalibus praesentia prae extraneis tribuatur, l) Senatus Norimbergensis iussit, in concursibus creditorum exactam aequalitatem seruare inter creditores Onoldinos et Norimbergenses, m)

D

Ius



Ius retorsionis in ditione Norimbergensi olim exercebatur contra subditos episcopatus Eichstadiensis, ui Decr. Senat. de 7. Dec. 1615. n), quod uero recentioribus temporibus in desuetudinem abiisse certum est, cum Norimbergenses in terris Eichstadiensibus indigenis non amplius postponuntur.

Retorsio in causis conturbationum non solum adhibetur contra statuta ex odio erga peregrinos profluentia, sed applicatur quoque ad constitutiones, quae generaliter in omnes siue subditos siue externos sunt conceptae.

Leges uel praxis forensis plurium Germaniae locorum usuras omnes nondum solutas in concursu non eodem locant loco, quem fors ipsa obtinuit; qui procedendi modus, quamuis non in odium extraneorum sit constitutus, ab exteris prouinciis tamen retorqueri potest. o) *Efslingensium* statuta unius tantum anni usuris parem cum sorte praerogatiuam tribuunt, reliquas post solutas demum omnes et singulas sortes locant. Hinc in Ducatu *Württembergico* secundum eandem normam *Efslingensibus* ius dicitur. p)

Alia statuta hypothecis priuatis uel quasi publicis effectum pignoris in concursu creditorum non tribuunt, sed creditores, qui hoc modo sibi prospexerunt, in chirographariorum numerum referunt. Hoc iure utitur ciuitas *Efslinga*, et comitatus *Solmensis*. Idemque ius contra *Efslingenses* in terris *Württembergicis* retorquetur, quoties contingit, ut *Efslingenses* tanquam creditores, ex concursu super debitoris obaerati bonis orto, suum repetere conentur. q)

a) uid. CHR. GOTTL. GMELIN. *Ordnung der Glaebiger* cap. VI. §. 1. p. 413. not. 1.) (ed. II. a. 1776.)

b) P. VI. tit. XI. §. 4.

c) I. TH. ZAVNERI *Auszug der wichtigsten Salzburg. Landesgesetze*. p. 83.

d) P. II. tit. 14. in SCHÖTTII *Samml. etc.* T. I. p. 219.

e) de 24. Dec. 1662. in der *vollst. Samml. der Addit. Decr.* p. 523.

f) de



- f) de 3. Apr. 1704. *ibid.* p. 526.
g) *uid. ibid.* p. 527. 528.
h) *ibid.* p. 529.
i) *ibid.* p. 530.
k) *ibid.* p. 530.
l) *HEVBERI Real-Index der Brandenburg. Onolzbach. Landes Conflitur.*
p. 113.
m) *Decr. Add. d. 16. Mart. 1764. in der vollst. Samml.* p. 778.
n) *CHRP. DAN. MAYERI Anweis. wie sich ein Beamter auf dem Land in*
Concurssaellen zu verhalten hat. p. 34.
o) *Magdeb. Policey Ordn. c. 55.*
p) *uid. ELSAESSER in diff. cit. §. XVIII.*
q) *ELSAESSER l. cit.*

§. XII.

DE RETORSIONE EXACTIONIS GABELLAE HEREDITARIAE
ET EMIGRATIONIS

Iure retorsionis extraneorum hereditatibus uel emigrantium bonis in nostris terris pars detrahitur ad eundem modum, quem aliena ciuitas erga nos seruat. *) Quod ad ius detractus attinet, illud quoque exercetur in eos, qui ex urbe quadam in alium locum eiusdem territorii domicilium transferunt. Hoc tamen interdum seruatur discrimen, ut minor pecuniae summa exigatur ab iis, qui in territorio sedem suam figunt, quam ab illis, qui in alienum migrant territorium, si rite remissionem petant. a)

Ex statutis urbis *Gerae* anno 1658. conditis tanquam census detractus pars decima quinta bonorum est relinquenda. Illis autem simul sancitum est: *Und weiln schliesslichen auch kundbar, dass in etlichen Staedten und Orthen es in einem böher, als dem andern, ja theils auf den zehenden auch wohl vierdten und dritten Theil genommen wird, so soll auf begebende Faell, das ius talionis et retorsionis gegen dieselbe Staedte und Oertber gebrauchet und also eine Wiedervergeltung oder Gleichheit in diesem gehalten werden.* b)

D 2

Inter



Inter plures prouincias imperio communi subiectas ius detractus passim est sublatus; exempla praebent prouinciae quaedam *Austriacae et Brunsvico-Liineburgicae*. c) Rex *Borussiae* abdicauit se iuri exigendi gabellam hereditariam, si intra prouincias suas e praefectura in praefecturam hereditas transferatur: sed confirmauit praefectis detractum de bonis in potestatem ciuitatum et nobilium uenturis. d)

In *Saxonia Electorali* ius detractus exercetur ex solo re-torsionis iure erga terras peregrinas, nisi pactis aliud sit conuentum. e) Haec uero pacta inter status imperii non sunt infrequentia, quibus hinc inde exactio census detractus reciproce est sublata. f) Ciuitas *Norimbergensis* cum pluribus ditionibus uicinis eiusmodi pacta iniit, quae uel ad certa praedia sunt restricta, uel discrimine inter loca clausa et non clausa nituntur.

Sic 1607. d. 22. Febr. conuentio de tollendo detractus censu a Senatu *Norimbergensi* cum episcopatu *Bambergenfi* est inita, circa praedia, de quibus magnum laudemium g) est praestandum; illamque confirmauit Senatus decretum 1753. promulgatum. h)

Immunitas ab hoc censu reciproca pactis constituta est cum *Palatinatu superiori, ordine Teutonico*, possessoribus Burgi *Farrnbach* et Praelatura *Ebracensi*; ita quidem, ut migrantes ex loco non clauso immunes sint a detractus censu. Transactio cum Praelatura *Ebracensi* 1658. perfecta id speciatim innuit, ut immunitas ista restricta esse debeat ad pagos et loca non clausa, et emigrantes ex locis clausis immunitate fruantur, si praedium laudemio maiori sit obnoxium.

Similia pacta cum aliis regionibus finitimis olim inita recentioribus temporibus nonnunquam iterum sunt sublata: quod

quod e. gr. contigit circa pactum inde ab a. 1602. cum episcopatu *Eichstadiensi* obtinens.


- *) Antiquissimum exemplum retorsionis detractus statuto praeceptae forsan est illud, quod inuenitur in constitutione Ioachimi I. Elect. Brandenb. de successione per Marchiam a. 1527. euulgata, quam peculiari dissertatione illustrauit C. G. HOFFMANN. Franc. 1733.
- a) STATVT. COBURGENS. Art. III. apud KREYSSIG in *Bezir. zur sächs. Historie*. T. I. p. 356.
- b) A. F. SCHOTTII *Samml. zu den deutschen Land- und Stadtrecht*. T. I. p. 180.
- c) IO. FRIEDR. BONHOEFFER de iure detractus §. XXVII.
- d) Idem. l. c.
- e) SCHOTT Inst. Iur. Sax. elect. priv. p. 45.
- f) Pacta de censu emigrationis non exigendo recenset I. G. F. HEYD de iure emigrandi in Germania, §. XXXI.
- g) i. e. pars decima quinta uel uicesima.
- h) uid. *Vollstaend. Samml. der Addit. Detr.* p. 569.

§. XIII.

DE RETORSIONE IN ALIIS CAUSIS ADHIBENDA

Praeter haec enarratas causas sunt quoque aliae, in quibus retorsionem adhibere iubent statuta, praesertim *Ordinat. politiae Magdeburgicae*), quae plenissimam decisionem in causis retorsionis praebet. Exclusio exterorum a iudicis effectus, ut contra subditos prouinciae uel loci, in quibus peregrini tantum experiuntur odium, in aliis locis retorsionis iure agatur. b) Si usurae fortis alicubi non ultra alterum tantum debentur, subditi Magdeburgenses creditoribus illius loci etiam non ultra alterum tantum usuras soluere tenentur. — Dantur prouinciae, in quibus fideiussores, qui beneficio excussionis renunciarunt, exceptionem ex eo formare non prohibentur. Erga hos ut aequale seruetur ius, aequum est. — In solutione pecuniae exteris debita ille ualor est respiciendus, qui edictis monetariis in patria creditorum pro-





mulgatis est conformis ibique in redditione mutui attenditur. — In pecunia ex uenditione feudorum redacta ius retentionis contra uenditores externos retribuitur, in quorum terris haec pecunia solet retineri, et postulatur, ut ex ea alia comparentur bona feudalia. — Forsan plura existunt statuta, quae retorsionem aliorum iurium extraneis molestorum iubent, quae perquisitioni nostrae se subtraxerunt. Sed sufficere possunt casus allegati, utpote in plurimis Germaniae terris usu frequentati.

a) cap. 55.

b) Eiusmodi retorsionem concedit *Fürstl. Braunsch. Lüneburg. Landtags-Abchied zu Salzdam, 3. Jun. 1597. §. zum fünf und vierzigsten etc.*

§. XIV.

DE MODIS AVERTENDI RETORSIONEM IURIS

Exercitium retorsionis iuris diuersi uel erga externos iniqui euitari potest, si cum ciuitatis principe uel eiusdem provinciae magistratu conueniatur, de iure illo molesto aduersus illam ciuitatem uel locum numquam exercendo. Haec conuentio aut iniri potest, antequam iuris exercendi uel retorquendi occasio oritur, aut casu illo iam existente, si datis litteris reuersalibus, iuris molesti exercitio renunciatur, ne retorsio ex altera parte sequatur. Eiusmodi pacta regulariter non nisi ab ipso principe uel eius regimine condi possunt, si res inter territoria diuersa agitur, quippe ad potestatem legislatariam restringendam spectant; neque aliorum dicasteriorum uel magistratuum cautio interposita sufficiens habetur. Attamen coactio absoluta ad has conuentiones uel litteras reuersales, praesertim si hae intempestiue et in fraudem retorsionis offerantur, a) eliciendas exulat, et cuiusuis ciuitatis arbitrio est relictum, quam ratione potestate legislatoria uti uelit. Si autem litteris reuersalibus
uel

uel alia ratione legis applicationem se omiffuram princeps promiserit, promissis est standum, et illa uiolans iniuste agit. b) Applicationis iuris molesti, cui exercendo occasio non defuit, omiffio, quae renuntiationem tacitam inferre uidetur, non sufficit, cum sit actus merae facultatis, qui metum applicationis iuris molesti futurae non tollit.

a) ELSAESER in diff. cit. §. XVI. XVII.

b) BAYER in diff. cit. §. XVI.

§. XV.

CESSIONIS AD VITANDAM RETORSIONEM NVLLA EST VIS

Iuris retorsionis exercitium non sistitur per cessionem iuris ab extraneo retorsionem metuentis in ciuem illius territorii factam, in quo retorsio iuris diuersi erga extraneum imminet. Retorsio hic exercetur non contra ciuem proprium, sed contra indigenam qua extranei cessionarium, sub cuius persona latet cedens peregrinus. Cessionarius uero in locum cedentis succedit; neque plus iuris in ipsum a cedente potuit transferri, quam hic habuit. Eiusmodi itaque cessio in fraudem retorsionis facta esse censetur et nulla habetur a)

a) LEYSER in Med. ad Pand. Spec. XXV. med. 8.

§. XVI.

IN MORATORIO NON COMPETIT RETORSIO

Debitori obaerato ex iusta causa interdum princeps per rescriptum moratorium succurrit, atque ius agendi creditorum eius ad certum tempus sistitur. Quod si idem debitor credita sua a debitoribus extraneis praetore auctore exigit, illi exceptio moratorii non recte opponitur. Hac enim exceptione beneficium debitori obaerato indultum plane tolleretur, illaque fini, ob quem rescriptum moratorium ipsi concessum est, omnino repugnaret, qui nullus alius



alius est, nisi ut debitori casibus aduersis presso ob spem melioris fortunae succurratur.

Dissentientes prouocant quidem ad edictum praetoris: quod quisque iuris etc. quod uero retorsionis fundamentum genuinum minime haberi potest, et cui non est locus, nisi contra eum, qui dolo ius nouum et iniquum contra aduersarium impetrauit. (§. II.) Rescripto moratorio gaudens non ius nouum, sed beneficium iure permissum acquisiuit. a) In moratorio abest dolo et ius iniquum; b) supponimus enim illud rite petenti iusta ex causa a principe esse concessum. *Ordinatio Polit. Magdeburgica* c) moratorii retorsionem restringit ad eum casum, quo creditor moratorio ornatus nomen exigit a debitoribus exteris pari infortunio laborantibus.

a) SCHILTER Exerc. VI. §. 28.

b) Vtriusque sententiae rationes concinne expositae leguntur in *Meditat. über verschiedene Rechtsmaterien*. T. I. p. 31—36.

c) cap. 55.

§. XVII.

DE RETORSIONE IN CAUSIS CRIMINALIBUS

Non tantum leges ciuiles diuersarum Germaniae provinciarum inter se maxime discrepant, sed etiam magna deprehenditur legum criminalium diuersitas, ui cuius delictum in uariis terris poenis afficitur maxime inter se discrepantibus. Peregrinus autem in nostris terris delinquens non sortitur illam poenam, quae patriae suae leges sanciuere, nec iudicatur secundum leges loci et territorii, in quo delictum est commissum, uel ubi inquisitio instituitur; poena eius ex iure communi est definienda. a) Remissio delinquentium non facile conceditur, nisi exteri magistratus ad reciproci obseruantiam se obligare uelint. b)

a) G. L. BOEHMER de delictis extra territorium admissis. §. XVI. sqq.

b) *Magdeb. Policey Ordn.* cp. 55.







KA 608


ULB Halle

3

005 302 65X








CHRISTOPHORI IACOBI SCHMIDMERI
I. V. D. ET REIPUBLICAE NORIMBERGENSIS
ADVOCATI EXTRAORDINARIJ

OBSERVATIONES MISCELLAE
DE
RETORSIONE IVRIS



NORIMBERGAE,
IN BIBLIOPOLIO GRATTENAVERIANO
MDCCCLXXXVII.



P. 165.

KT 608
608

